



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXXIX. De peccato Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

VII. Hoc etiam docet S. Damascenus & S. Dionysius affirmans distributionem Hierarchiarum & ordinum in Angelis fieri pariformiter secundum excessum naturæ & gratiæ: quod lib. de cœlesti Hierarchiâ, c. 6. à præceptore Paulo didicisse se profitetur. Unde ibidem: *Prima*, inquit, *Hierarchia sicut est perfectior reliquis, ita primoribus Dei splendoribus* (gloriæ scilicet & gratiæ) *majori propinquitate conjuncta est*; sicut autem Suarez hic, lib. 5. cap. 10. n. 14. & alii, qui di-

cunt Angelos gratiam primo instanti dependenter à propria dispositione accepisse, hic consequenter affirmat eos auxilia tunc inæqualia habuisse, ita ut hic ordo & inæqualitas gratiæ, toto tempore & via hic, & gloriæ in patriâ persistat, sic etiam dicere possumus nos, Deum eo modo illorum intellectus & voluntates semper movisse, ut sicut inæqualiter gratiam primo creationis instanti acceperunt, ita & inæqualiter deinceps auxerint.

Inæqualitas gratiæ in via persistit in patriâ.

DISPUTATIO LXXIX.

De peccato Angelorum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Angeli voluntas ita sit libera, ut in purâ naturâ contra naturalem rectitudinem peccare potuisset.

I. *Angeli in hoc statu potuissent pro quovis instanti vel bene, vel male agere.*



DISPUTATIONE 76. sect. 2. ostendimus, voluntatem Angeli sibi relictam, ita indifferentem esse ad bonum & malum, ut quamdiu in viâ extitit, alterutrum amplecti potuerit, & consequenter vel bene

agere, vel peccare, idque sive mortaliter sive venialiter, etiam primo creationis instanti. Iam itaque inquirimus, utrum idem contigisset si Angelus in purâ naturâ fuisset creatus, sine ullâ elevatione ad gratiam, & præcepto positivo, ac lege supernaturali.

II. *Nulli sunt Angeli natura sua mali.*

Manichæi duo statuabant principia, bonum alterum, alterum malum.

Error Porphyri circa demones.

III. *Nulla creatura est à se, nec natura sua mala.*

Demones creati sunt boni, & per suum arbitrium facti sunt mali.

Suppono contra Manichæos, Priscilianum, & alios hæreticos, quos refert & damnat Concilium Bracharense primum, can. 6. & Leo Papa Ep. 91. nullos esse Angelos naturâ suâ malos: Manichæi enim duo statuabant principia, & ex iis alterum summè malum esse aiebant, ac mala omnia per se solum efficere. Hoc verò principium ulterius dicebant, non à Deo substantiam suam, naturaliter malam accipere, sed eam habere à se: quod etiam docuerunt Priscilianistæ asserentes diabolum naturâ suâ malum, nullum habuisse sui auctorem, sed è tenebris per se emerisse. Unde & Angelos aliquos statuabant per se malos, & à se sine ullo sui principio existentes, Porphyrius etiam inter alios errores, quosdam demones posuit naturâ suâ fallaces, & malos, ut refert S. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. undecimo.

Hæc tamen sententia & falsa & hæretica est; omnia enim à Deo croata sunt, & bona: Angeli autem suo arbitrio facti sunt mali. Unde præter Concil. Bracharense citatum, hoc definiit Concil. Lateranense sub Innocentio, & habetur cap. *Firmiter de summa Trinitate*. *Diabolus inquit & alii demones à Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali*. Quare ulterius in Concil. Carthag. 4. inter alios fidei articulos ei proponi solitos, qui Episcopus erat ordinandus, unus fuit, *An crederet quod diabolus, non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus*. Deinde, non potest aliquid naturaliter esse in se malum quoad substantiam, multò minùs quoad aliquam operationem; hæc enim si naturalis sit, & necessaria, mala moraliter esse non potest, nec Angelos reddere peccatâ dignos. In hanc proinde sententiam accerrimè

invehuntur Patres omnes, tamquam & fidei & naturæ lumini contrariam.

Prima itaque sententia ait, licet Angelus, si ad statum supernaturalem eleveur, possit peccare, imò de facto multi peccaverunt, si tamen, inquit hi auctores, in purâ naturâ relinqueretur, ita esset naturâ suâ determinatus quoad specificationem ad bonum honestum, ut non posset, eo relicto, velle aliquid turpe, adeoque in naturalibus deficere peccando non posse: ita Durandus, Capreolus, Cajetanus Ferraria, & multi ex recentioribus Thomistis.

Secunda tamen & probabilior sententia affirmat Angelum, etiam naturæ suæ relicto, liberum esse quoad specificationem circa bonum & malum, ita ut quodvis amplecti, & in quamcumque velit partem suo se arbitrato inflectere possit, proindeque & in purâ naturâ peccare: ita Scotus in 2. disp. 23. q. unica, Ockam, Gabriel, & alii. Suarez lib. 3. cap. 7. Molina, Arrubal, & alii.

Probatur hæc sententia primò: defacto enim peccaverunt Angeli contra lumen rationis, & consequenter contra legem naturalem; posito namque quòd Deus eorum naturam ad ordinem & finem supernaturalem eleverit, & ejusmodi præcepta imposuerit, tam est evidenter contra lumen rationis iis non obtemperare quàm mentiri, aut aliud hujusmodi præstare; tam enim evidenter dicitur lumen naturale esse in supernaturalibus Deo obtemperandum, posito quod imponantur ejusmodi præcepta, ac in naturalibus. Deinde demones jam multa præstant contra lumen & dictamen rationis, mentiendo, homines decipiendo, & ad peccata pertrahendo, ergo & in purâ naturâ isthæc præstare possent, cum non minùs perfectè jam ista videant dictamini rationis adversari, quàm vidissent in purâ naturâ; jam enim cognitionem habent æquè perfectam, ac in purâ naturâ habuissent, vel ante peccatum habuerunt, saltem quoad scientiam naturalem.

Licet etiam, cum modò sint in statu damnationis, & summâ desperatione æternæ felicitatis, maximumque conceperint odium Dei, habeant varia incentiva ad peccandum, quæ in statu puræ naturæ non habuissent; sicut tamen hæc incentiva non ita impellunt eos ad peccandum, quin possint absolute non peccare, ita cum in purâ naturâ fuissent liberi, potuissent absolute hæc & similia peccata committere, cum eadem ratio convenientiæ vel disconvenientiæ potuisset iis in eo statu eadem claritate proponi, qua modo, sicque eadem in iis fuisset simpliciter libertas & potentia in purâ naturâ, quæ jam est ad hæc peccata admittenda.

IV. *Dicunt nonnulli Angelos in purâ naturâ creatos non potuisse peccare.*

V. *Probabilior est Angelum, in purâ naturâ creatum, potuisse peccare.*

VI. *Angeli de facto peccaverunt contra lumen rationis, ergo & hæc præstare potuissent in purâ naturâ.*

Demones jam multa præstant contra naturam luminis contraria.

VII. *Demones, quamvis plurimum jam habeant ad peccandum incentiva, absoluè tamen possunt non peccare.*

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contententia Angelum non posse in purâ naturâ peccare.

I. Angelus in statu purâ naturâ non diligit semper Deum naturaliter amore benevolentia.

Obijciunt primò: Angelum naturaliter diligere Deum ut Auctorem naturâ; ergo non potest in purâ naturâ peccare. Contrâ ergo nec potest peccare in quacumque naturâ, si naturaliter semper diligit Deum, cum peccatum stare nequit cum actu etiam naturali amoris Dei super omnia. Licet etiam peccata de facto ab Angelis commissa, directè fuerint contra finem supernaturalem, indirectè tamen, & consequenter fuerint contra lumen rationis naturalis: quod maximè urget de peccato odii Dei. Nego itaque Angelos ex naturâ suâ amare Deum necessariò amore benevolentia propriè dicto: quamvis enim velit Angelus Deum existere, & hoc sensu cum aliquo modo amet, per hoc tamen magis amat se quam Deum, cum idè solum Deum velit existere quia videt illius existentiam esse necessariam ut ipse Angelus existat. Hoc nihilominus non est propriè amare Deum: sic enim & Deus vult demones existere, quos tamen simpliciter non amat, sed odit.

II. Liberâ Angelus voluntate dependet ut sit naturaliter beatus.

Obijciunt secundò Angelum esse naturaliter beatum, ad beatitudinem autem naturalem spectat, non contemplatio solum, sed etiam amor summè boni; ergo debet Angelus semper amare Deum, & consequenter nequit peccare. Resp. Angelum in viâ ita esse naturaliter beatum, ut sit beatus liberè: alia enim beatitudo, seu necessaria spectat ad terminum, & superaddit specialem Dei protectionem & providentiam, quâ à peccato quis perpetuò præservetur, sicut præservantur parvuli sine baptismo ex hac vitâ decedentes, quâ fortè providentia ipsis, utpote in termino constitutis, debetur. Nec urget quod opponit Durandus, corpora scilicet cœlestia, quia sunt in supremo gradu corporum, non posse in suâ naturali operatione deficere; ergo nec deficere in eadem poterunt Angeli, cum sint in supremo gradu spirituum: negatur enim consequentia, cum corpora cœlestia, utpote inanimata, non habeant dominium suarum operationum, sicut habent Angeli, ratione libertatis.

Aliud est de Angelis quoad defectus naturales, aliud de corporibus cœlestibus.

III. Dicitur ad peccatum voluntatis in Angelo requiri defectum in intellectu.

Obijciunt tertio: non potest voluntas peccando deficere, nisi præcedat defectus aliquis in intellectu, sive sit defectus erroris, sive inconsiderantia, ex quo ortum habuit dictum illud philosophorum desumptum ex Aristotele 3. Eth. cap. 1. Omnis peccans est ignorans; sed in intellectu Angeli nullus esse potest error, nullus in cognitione rerum naturalium defectus; ergo.

IV. Negat multi non posse voluntate creatam peccare, nisi præcedente errore in intellectu.

Resp. primò: Scotum & alios absolutè negare principium illud, nempe voluntatem creatam non posse peccare, nisi præcedente, vel errore, vel defectu cognitionis in intellectu. Dicit tamen potest secundò, si per defectum cognitionis in intellectu intelligat quis absentiam alicujus cogitationis congruæ, seu considerationis, quæ si adesset, retraheret Angelum à peccato, videtur omnino verum principium illud, multæ namque sine dubio sunt possibiles cogitationes, & considerationes, quæ si Angelo inessent, cum quo minus in peccatum incidere, impedirent. Neque, ut cum aliis notat Suarez num. 12. necessarium est ut quoties Angelus aliquid vult, vel operatur actu, rationes omnes boni aut mali, commodi vel incommodi, quæ in re illâ vel affectu reperiri possunt, consideret.

Quo sensu sit verum, Omnis peccans est ignorans.

Possent itaque Angeli in purâ naturâ constitui peccare: ad hoc enim sufficit libertas illa arbitrii, quâ cum præditi tunc fuissent, potuissent bono honesto relicto, delectabile, si voluissent, amplecti. Hoc tamen non obstante, ex perfectione illâ cognitionis naturalis, quæ utpote primâ inter creaturas rationales excellunt, perfectoque in actus suos intellectus, quos pro libito excitare possunt, dominio, multò facilius eligere bonum honestum possent in purâ naturâ, & malum fugere, quam homines: præsertim cum pugna illa internâ appetituum non irriterentur, quâ tamen homines transversi sæpè feruntur, præcipitesque ruunt in peccata.

V. Liberâ Angeli arbitrii probat posse eum in purâ naturâ peccare.

Multò tamè facilius malum vitare possent Angeli, quàm homines.

Hec quæ diximus, similiter intelligenda sunt de peccato veniali. Unde sicut supra asserimus potuisse Angelos, jam ad ordinem gratiæ elevatos, primo creationis instanti peccare venialiter, idem nunc dicimus potuisse eos quovis tempore, si in purâ naturâ fuissent creati. Ratio est, quia sicut Angelus absolutè eligere potest malum grave relicto bono, ita à fortiori videtur posse præ bono illo eligere leve aliquod malum, puta mendacium aliquod ex genere suo leve, vel peccatum non grave ex parvitate materiæ, quale esset detractio levis, aut parva injustitia alteri illata. Nec apparet quæ circumstantia mortaliter aggravans hic necessariò adjungi debeat, ut sine eâ Angelus secundum se præcisè spectatus, rem leviter malam appetere non possit.

VI. Angeli, si in purâ naturâ creati fuissent, potuissent etiam peccare venialiter.

S. Thomas autem, dum negat, Angelum peccare posse venialiter, vel loquitur de eo ut in statu gloriæ, aut damnationis, non in statu puræ naturæ, vel solum vult esse Angelo valdè connaturale, ut quamdiu manet rectus circa finem ultimum, non peccet venialiter, non quod sit hoc ei impossibile. Addit Suarez lib. 3. cap. 8. num. 6. probabile esse sanctum Thomam, non loqui de Angelis secundum se, sed prout de facto suberant huic providentiæ & gubernationi Dei, in qua fortè non peccarunt, nec peccare poterant venialiter.

VII. Parvis modis intelligi potest S. Thomas, dum negat Angelum posse peccare venialiter.

Disputant hic aliqui, num dari possit natura creata rationalis impeccabilis. Communis vox sanctorum Patrum est, ejusmodi creaturam rationalem repugnare, qui ipso facto quod natura rationalis ex nihilo facta sit, & consequenter sit creatura, inferunt esse peccabilem, & mutabilem in malum. Sic S. Hieronymus epist. 146. sub finem: Solus, inquit, Deus est, in quem peccatum non cadit, cetera cum sint liberi arbitrii, in utranque partem possunt suam flectere voluntatem; Sanctus etiam Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 1. & 6. voluntatem creatam ait mutabilem esse in malum, ipso facto quod de nihilo facta sit, & hanc ait sufficientem esse rationem ejusmodi mutabilitatis. Idem docet S. Anselmus, S. Ambrosius, & alii Patres. Unde sine dubio, si auctoritas spectetur, hæc sententia omnino esset tenenda.

VIII. Implicat natura rationalis creata in impeccabilis.

Voluntas creata, eo ipso quod de nihilo facta sit, est mutabilis in malum.

Recentiores tamen illi, qui dicunt vel possibilem esse naturam rationalem, seu intellectivam non volitivam, aut intellectum & voluntatem ad certa objectorum genera limitatam, sicut limitantur sensus tam externi quam interni: hi inquam affirmant non repugnare creaturam rationalem, quæ vel nullam habeat voluntatem, vel cujus voluntas ferri tantum possit in bonum, & non in malum, sicque cum Gabriele & Majore in 2. d. 23. aiunt non implicare creaturam rationalem impeccabilem. Sed cum has opiniones rejecerimus in philosophiâ, tenendum nobis est hujusmodi creaturam rationalem impeccabilem repugnare.

IX. Qui dicunt dari posse certis creaturarum rationalium genus intellectivum, non tamen peccabile.

SECTIO TERTIA.

Quodnam primum fuerit Angelorum peccatum.

I. **V**ARIA sunt peccata, quæ ab initio commiserunt, vel committere poterant Angeli, ut peccatum superbiæ, præsumptionis de viribus propriis, invidia erga homines, odii in Deum, tandem inordinati cuiusdam desiderii beatitudinis, in quantum præcisè est bonum quoddam delectabile, quod Scotus peccatum luxuriæ spiritualis appellat; sicut, inquit ipse, peccatum quo inordinate delectatur quis in speculatione conclusionis geometricæ, ad luxuriam reducitur.

II. Ait itaque Scotus, licet in Angelo inordinata quædam præcesserit complacentia sui, quam lato modo dicit vocari posse superbiam: hunc tamen, inquit, actum immediatè subsecutus est vehemens quidam in beatitudinem affectus, quo eam inordinate appetebat, vel scilicet nimis citò eam habere volens, vel aliis modis indebitis: & hoc peccatum opponi ait, non humilitati, sed temperantiæ spirituali, cujus munus est moderatè in huiusmodi bona jucunda tendere, sicut in hominibus, qui mole corporis gravantur, ordinatur temperantia ad moderatè tendendum in res jucundas corporeas. Sanè non video, cur huiusmodi virtus in Angelis respectu bonorum spiritualium reperiri non possit.

III. Dicendum nihilominus, quantumcumque hoc peccatum admittatur esse in Angelis possibile, primum tamen eorum peccatum fuisse superbiam: ita S. Thomas prima parte, quæst. 63. art. 2. & 3. S. Bonaventura, Halensis, Durandus, Suarez hic, lib. 7. cap. 9. Vasquez, Molina, & alii passim, qui hoc ob auctoritatem Scripturæ & Patrum tanquam certum statuunt, & Arrubal d. 178. cap. 1. ait, non posse sine temeritate negari.

IV. Probatum variis Scripturæ locis: Isaïæ 14. v. 12. Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo, In caelum ascendam, &c. quæ verba apertam indicant superbiam: & licet literaliter fortè intelligantur de Rege Babylonis, ut multi volunt; sancti tamen Patres, ut S. Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, Prosper & alii plurimi, ea de Lucifero accipiunt, indeque auctorem cum superbiæ fuisse probant. His consonant verba illa Ezechielis cap. 28. v. 17. ubi de Lucifero similiter dicitur, Elevatum est cor tuum in decore tuo. Hinc Job 41. v. 25. de diabolo dicitur, Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Tobia item 4. versu 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio.

V. Tandem hoc idem apertè indicant verba illa Christi, Lucæ 10. v. 18. Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem. Quæ verba de primo lapsu Angelorum dicta esse communiter affirmant Patres, S. Hieronymus, Prosper, Origenes, Gregorius, Ambrosius, & Chrysostomus, eoque sine à Christo prolata asserunt, ut discipulorum animos ex pateratione miraculorum nonnihil elatos reprimeret, eosdem monendo, ne ob hæc & alia huiusmodi eferrentur, cum animi elatio causa fuerit, cur dæmon de caelo in infernum sit præcipitatus.

VI. Plurima sanctorum Patrum hac de re testimonia asserunt Suarez citatus cap. 9. Vasquez, Tannerus, & alii: & præter jam dicta, ubi loca Scripturæ supra

allata explicant de superbia, & lapsu dæmonis, quo etiam modo explicant illud Ecclesiastici 10. versu 15. Initium omnis peccati est superbia; S. Augustinus 12. de Civitate, cap. 1. & 6. de peccato loquens, quo cecidit diabolus: Hoc vitium, inquit, quid aliud quam superbia nuncupatur: Initium quippe omnis peccati superbia; & postea: Hic primus defectus, primūque vitium ejus natura, &c. Sanctus item Ambrosius in illud Psalmi 118. v. 15. Superbi iniquè agebant, &c. Diabolus, inquit, per superbiam naturæ suæ amisit gratiam. Sanctus etiam Leo Serm. 4. de collectis, de diabolo ait: Inventor ille auctorque peccati primum superbus ut caderet, deinde invidus. Idem passim docent S. Chrysostomus, Fulgentius, Rupertus, Bernardus, Prosper, Nazianzenus, Damascenus, & alii; qui videri poterunt in Auctoribus citatis.

SECTIO QUARTA.

In quo fitum sit hoc peccatum superbiæ, quod Angelum mutavit in dæmonem.

RESTAT tamen adhuc difficultas, in quo nimirum situm fuerit hoc superbiæ peccatum in Angelis, & quodnam ejus fuerit objectum. Volunt aliqui fuisse nimiam complacentiam in propria beatitudine naturali, vel quod eam independentè à Deo habere voluerint, aut denique quod in eâ ultimum suum finem constituerint, sprètâ præ eâ, beatitudine supernaturali. Alii, inter quos est Scotus, affirmant peccatum illud fuisse inordinatum affectum in beatitudinem supernaturalem: quod scilicet nimis citò eam habere voluerint, non expectando tempus à Deo præfinitum, aut suis viribus, & sine meritis, vel aliâ huiusmodi ratione eam obtinere. Hoc tamen postremum non subsistit, cum jam primo instanti, ut vidimus, habuerint Angeli merita. Tertio affirmant alii Luciferum appetuisse principatum, & tyrannicum in alios Angelos imperium.

Quarto existimant alii eum divinitatem, seu æqualitatem cum Deo affectasse, affectu saltem inefficaci, & conditionato, seu per quandam velleitatem, quo modo communiter dici solet posse aliquid appetere impossibile cognitum etiam ut impossibile. Quidquid verò sit de facto, huiusmodi affectum non esse impossibilem censet Scotus, Molina, Suarez hic, lib. 7. cap. 12. num. 14. Vasquez d. 234. cap. 2. & alii: sic enim de facto videtur diabolus ex odio Dei velleitatem quandam habere, qua vellet eum non esse, aut non posse ipsum punire. Hac etiam ratione peccator per acium contritionis optat peccatum non fuisse, & alia huiusmodi.

Addunt aliqui, licet hæc voluntas sit quoad hoc objectum inefficax, posse tamen respectu aliarum rerum, ut ad debitam subjectionem & obedientiam Deo denegandam, esse efficacem; sicut contritio, etsi respectu peccati præteriti sit inefficax, efficaciter tamen peccatorem avertit ab omni peccato posteriori committendo: unde prior ille affectus æqualitatis dicitur efficax secundum quid, quia scilicet ex vi illius, practicè ita se gerit Angelus, quasi esset Deo æqualis. Nec obstat, ut affirmant hi auctores, quod implicite, & consequenter hoc modo appeteret Angelus suum non esse (Deo quippe destructo existere non posset) id enim, inquit, non implicat; sed ad summum, explicite illius desiderium.

Varia sunt peccata, quæ ab initio commiserunt Angeli.

Opinio Scoti de vehementer inordinato beatitudinis affectu, per quem peccaverunt Angeli.

Virtus temperantia spiritualis.

Primum Angelorum peccatum fuit superbia.

Variis Scripturæ locis ostenditur Angelos primo peccasse superbiâ.

Diabolus est Rex super omnes filios superbiæ.

Superbia causa fuit, cur dæmon de caelo in infernum sit præcipitatus.

Docent frequenter sancti Patres

Diabolus per superbiâ, naturæ suæ amisit gratiam.

Varia modè declaratur in quo situm fuerit hoc peccatum in Angelis.

Opinio de peccato Luciferi affectu æqualitatem cum Deo.

Quale Dei odium de facto habeat diabolus.

Voluntati respectu unius objecti inefficax potest respectu aliorum esse efficax.

Quo pacto esse possit Angelus huiusmodi æqualitatis desiderium.

desiderium. Ad priorem appetitum eliciendum sufficit, inquit, vel sola apprehensio, vel iudicium conditionatum, quod scilicet valde foret conveniens, seu bona Angelo ejusmodi aequalitas, si daretur.

IV. Sententia quod Lucifer appetierit unionem hypostaticam.

Quintò volunt nonnulli objectum superbiae Luciferi in hoc situm fuisse, quod sibi appetierit unionem hypostaticam, aegreque tulerit, quod Deus relicta natura ipsius nobilissimam, humanam multò quoad naturalia inferiorem assumere voluerit. Hanc sententiam valde probabilem censet Suarez hic, lib. 7. cap. 13. num. 13. ubi plurimos, tum ex Scholasticis, tum Patribus pro ea refert.

V. Luciferi peccatum dicitur aliud fuisse, quod Christo ut homini in subiecto noluerit.

Sextò demum dicunt aliqui objectum superbiae Luciferi fuisse quod natura suae pulchritudine in status, Christo ut homini subiecti noluerit, eique reverentiam exhibere, rem scilicet indignam reputans subdì homini, eumque adorare, & alia huiusmodi. Cui hac in parte restitit cum bonis Angelis S. Michael, dignissimum esse afferens, Angelos quantumvis excellentem haberent substantiam, cuicumque naturae, licet ipsis inferiori, propter Deum subiecti: & in hoc consistebat praemium illud magnum in Caelo inter bonos & malos Angelos commissum.

VI. Primum Luciferi peccatum fuisse videtur, quod in naturali sua pulchritudine inordinatam habuerit complacentiam.

Has inter sententias haud primum est iudicium ferre, & certi aliquid pronuntiare, licet aliqua ex his non ita proprie statuatur peccatum Luciferi, & Angelorum in superbia, quae proinde facilius rejiciuntur. In primis itaque (etiam nihil hic clarè constat) probabile mihi videtur peccatum primum superbiae Luciferi fuisse inordinatam quandam in propria pulchritudine & perfectione na-

turali complacentiam; eximiam enim illam speciem & naturae suae excellentiam clarè intuens, sibi quae semper praesentem, in ea tanquam in ultimo fine ita vanè acquievit, ut praeter illam beatitudinem supernaturalem (licet hanc meliorem esse sciret) obscure cognitam contemneret, suamque perfectionem, & felicitatem naturalem ei praefertè praefert; sicut superbi interdum homines, naturali sua scientia usque adeo inflantur, ut praeter illam ex animi elatione contemnunt fidem, quae captivationem continet, & naturae humilitationem.

Naturalem suam beatitudinem praefert Luciferi supernaturali.

Hic modus explicandi superbiam Luciferi fundamentum habet in divinis Literis: hoc quippe insinuare videntur verba illa supra relata Ezechielis 28. v. 7. Luciferò applicari solita. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Ad rem etiam hanc faciunt verba illa Christi Lucae 10. v. 18. supra similiter posita, quibus discipulorum animos de virtute illa, quam habebant operandi miracula, & demones ejiciendi, non nihil jam inflatos compevit, dicendo, *videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem.*

VII. Sacra Litera insinuat, hanc complacentiam, primum fuisse Luciferi peccatum.

Ratio demum favet; proprius quippe actus superbiae, ut bene declarat Lessius lib. 4. de Justitia, cap. 4. dubitatione 8. num. 62. est se suamque perfectionem nimium aestimare, quae aestimatio non in solo iudicio vel apprehensione consistit, sed etiam in affectu, quo erga se tanquam magnum aliquid bonum ita afficitur, ut praeter reliqua contemnat, vel paratus sit ita se gerere, ac si omnibus par foret, aut etiam superior, quod, inquit Theologi, est seipsum inflare, tumefacere: &c.

VIII. Superbia dicitur acceptus est se magis facere, et alia praeferre.

DISPUTATIO LXXX.

De inflexibilitate voluntatis Angelicae.

SECTIO PRIMA.

An & quomodo demones in malo sint obstinati.

I. Minima demones in inferno poena non est obstinatio in malo.



NGELI mali, ubi per peccatum à Deo deficiunt, & consequenter ab ultimo fine aberrant, poenis ac suppliciis aeternis sunt adjudicati, inter quas poenas minima non est obstinatio perpetua in malo. Ob peccatum itaque poena aliqua multati sunt in intellectu, in voluntate, & in ipsa substantia, loquendo de his ut distinctis.

II. Quam poenam per peccatum in intellectu Angelus.

Malorum Angelorum dies versa in est in noctem.

In intellectu ergo, licet nihil naturalis scientiae, saltem speculativae, amiserint, cum hac per peccatum non sit diminuta, ut affirmat S. Thomas hic, q. 64. art. 1. & D. Dionysius cap. 4. de divinis nominibus in 4. ejus parte; omni tamen cognitione verè supernaturali, tam actuali quam habituali sunt orbati, & hoc modo creaturam mentis maximam, & intellectus tenebras incurrent, eorumque dies, lux scilicet clarissima, in qua sunt creati, in noctem versa est. Quo sensu dixit S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 4. *De-*

mon lux à creatore conditus, bonusque procreatus, libera voluntate caligo factus est.

Praecipua tamen poena in hoc genere fuit in voluntate: circa quam in primis inquirimus, utrum eorum peccatum, statim postquam commissum est, fuerit irremissibile. De facto Angelos omnes qui peccarunt damnatos esse negat nemo, & probatur ex illis verbis 2. Petri 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non peperit*, quae propositio indefinita cum sit, & doctrinalis, idem sonat ac nullis Angelis peccantibus peperit; nec enim rectè diceretur, Deus hominibus peccantibus non peperit, licet multò plures homines damnetur, quam salventur.

III. Primum Angelorum peccatum, statim postquam commissum est, fuerit irremissibile.

Angeli omnes, qui peccarunt, sunt damnati.

Gabriel itaque in 2. disp. 6. art. 2. conclusione prima, ait Angelos malos quoad duravit eorum via, potuisse simpliciter converti & ad hoc habuisse gratiam sufficientem: Quam etiam sententiam late defendit Salmeron 2. Petri 20. dist. 3. dub. 3. eandemque tenere videntur Suarez lib. 8. cap. 1. num. 25. dicens simpliciter potuisse Angelos post lapsum respicere, & agere poenitentiam; de facto tamen nullum respicisse, tum ob naturalem Angeli obstinationem in proposito semel suscepto, tum quia eorum via admodum brevis erat, & auxilium ipsis datum valde tenue, licet simpliciter

IV. Dicunt nonnulli, Angelos post lapsum habuisse ante damnationem tempus respicendi.